



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Mores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Piratis coleretur. Eius ora mille & amplius Insulis frequentatur naturā vadosi maris, aestuariisque, tenui alueo, intercursantibus. *Plin. lib. 3. cap. 26.* In Dalmatiā optimas fuisse fodinas docet Casiōdorus. Ibidem auri plurimū, siquidem, ut ait *Statius*,

*Dalmate montes, ubi dite viso*

*Pallidus fossor reddit, erutoque*

*Concolor auro.*

De sale dicemus in Admirandis; sicut & de mirabili regionis fertilitate. Coclæ Illyrica p̄cipua magnitudinis *Plinio*: pix Illyrica laudatur ab *Ovidio*, Iris à *Theophrasto*, oleum Liburnicum ab *Apicio*.

#### N V M. 4. Mores.

ILLYRICI omnes bellicosi, sed latrociniis addicti *Strabo*. In ora maris Piraticam exercebant nauigiis velocioribus quæ inde Liburnica. Sub Imperatoribus hinc fortissimæ legiones. Vino deditos agnoscant *Aelianus*, & *Athenaeus*: confecere & potum ex hordeo quem *Sabaiam* dixerat, unde Valens Imperator Illyrius dictus *Sabaiarius*, *Am. Marcell.* Nullâ pecuniâ vtebantur Dalmatae, quod Romanis mirum videbatur. Octauo quoque anno agros suos diuidebant *Strabo* lib. 7. Peltas inuenere Dalmatae *Clemens Alexand.*

#### N V M. 5. Politia.

NOMINATVR eorum Rex Agro, contra quem à Ro. bellum gestum est ob Effios insulares: & tum Epidamus, & pars Epiri huic parebant. Coruncanus Legatus Romanus hīc cæsus causa magni belli fuit, sed Rege mortuo vxor eius *Tenta* cum Ro. pepigit, quando Corcyra, & Apollonia libertate donatæ sunt, & Demetrius cuius proditione vñ erant Romani, multis donis auctus; postea tamen is rebellis interemptus est. Persei tempore pecuniâ intutatus Rex Gentius, bellum Ro. denunciauit, sed illico deuictus, & captus, Scodra caput gentis deleta per Anicium Proprætorem, qui & Regem cum filiis in triumphum duxit. Illyrij tempore Iulij Cæsaris evidentur rebellasse, nam semel & iterum Romanos cecidere, maximam cladem intulere Gabinio: postea tamen deuicto Pompeio pacem impetrarunt. Sed cæso Cæsare iterum redire ad ingenium; tandemque ab Augusto omnia de-